

ingeniose in ipsa nocte venit ad Tarsimodum¹ dicens: 'Usque nunc bene cum Attila pugnasti; sed nunc nequaquam vales resistere, quia de Chunis multitudo maxima ei supervenit; sciasque te, nisi cito recesseris, cum tuis citius ruiturum'. Tunc Torsimodus spopondit Agatio XM solidos, ut suo ingenio Chunos averteret. Agatius itaque in ipsa nocte Attilae supervenit dicens: 'Optabile mihi esset nimium, si perfidi Gothi per te possent superari, sed hoc impossibile est, nam Theodoricus frater Torsimodi cum fortissima manu Gothorum et Italiorum hac nocte supervenit, et o utinam cum tuis evadere posses!' Haec audiens Attila XM solidos et ipse Agatio dedit, ut suo ingenio posset evadere, statimque per Galliam via qua venerat repedavit venitque Coloniam et obsedit eam.

3i. Cumque cives fortiter resisterent ac de muro plurimos occidissent, ex improvisa Dei ordinatione undecim millia virginum, virorum ac mulierum navibus ac terra supervenerunt ac prope civitatem appulerunt. Cumque de navibus egressae in agrum contiguum civitati venissent, Attila cum suis novitatem rei admiratus ad spectaculum procedit. Deinde (f. 422) consideratis omnibus ipse rex alique procures uxores sibi et concubinas de ipsis virginibus eligere tentabant. Illae vero spernentes consortia illorum et illicitum esse christianis virginibus impudicissimis canibus et sacrilegis homicidis coniungi protestantur. Unde rex cum omni exercitu suo in furiam versus omnes simul immissis gladiatoribus trucidari praecepit. Sic omnes illae sanctae virgines, sicut eis divinitus revelatum fuerat, apud Coloniam martyrio coronatae ad coelestis regis thalamum transmigrarunt. Attila vero perpetrato scelere spiritum disperterritus soluta obsidione Rhenum transiit ac fugaciter repatriavit. Nec multo post iudicio Dei subitanea morte percussus interiit et ad inferni claustra descendit. Colonienses itaque per merita sanctarum virginum liberati portis eruperunt et ipsas in eo, quo trucidatae fuerant, loco summa cum diligentia sepelierunt et ecclesiam inibi, sicut hactenus cernitur, in honorem ipsarum construxerunt. Cessante post haec persecutionis procella, cum iam sanctae ecclesiae pax reddita fuisset, Novientenses insulani cum caeteris pagensibus Alsaciae de latibulis Vosagi, in quibus delituerant, ad propriae habitationis locum revertuntur. Sed enim cum fere omnia quae reliquerant incensa ac diruta reperissent, adiuvantibus se circumpositis vicinis suis ecclesiam reficientes aliaque aedificia denuo construentes in servitio Dei inibi iugiter permanebant et circumpositas nationes verbo doctrinae instruebant².

1) So hier Hs. 2) Hierauf folgt cap. 3: 'Cumque post multa temporum' u. s. w., SS XXIII, 432.